

si patre minante solum accusationem apud Judicem, deflorator, ut eam evadat, nubat sponte ejus filia, valet matrimonium; quia metus a patre incussus non fuit ad extorquendum consensum, sed in ordine ad justam accusationem. Si iudex aliquem, juste secundum allegata, injuste vero reipsa, cogeret ad contrahendum, non teneret matrimonium, quia revera sic compulsus injuste patitur metum, & injustitiam. Contra si juxta allegata iudex injuste illum cogat, juste vero secundum rem, validum est matrimonium, nam reipsa nec injustitiam, nec metum injustum patitur.

233. Inq. 2. An matrimonium metu initium convalescat per copulam postea habitam, aut habitationem diuturnam? R. Sub distinctione. Vel enim copula, aut habitatio ex eodem metu extorquetur, vel habetur sponte, aut animo maritali, & sociali. Si primum, non convalescit matrimonium, esto fuisse juramentum firmatum; quia matrimonium juratum ex metu initium nullus est valoris, ergo idem est de copula, aut habitatione eodem metu extorta. Imo peccarent graviter fornicaria nullo timore honestabilis. Si secundum convalescit matrimonium, quia copula spontanea, & maritalis est signum sufficiens consensus. Et idem est de habitatione, si sit spontanea, socialis, & diuturna, sublato timore. Nam quando pars coacta sponte consentit perseverante alterius consensu, statim revalidatur matrimonium, ut cum D. Thom. diximus supra n. 91.

234. Inq. 3. Quomodo peccent, & quam poenam incurrant cogentes alios ad matrimonium? R. Omnes, qui metum gravem injustum ad id incutiunt, peccare graviter contra justitiam, & etiam contra obedientiam. Committunt quippe gravissimam injustitiam in contrahentes, & violant grave præceptum Concilii Trid. sess. 24. cap. 9. Domini autem temporales habentes jurisdictionem in foro externo incurrun excommunicationem majorem lætæ sententiæ ab ipso Trid. impositam, quia ut inquit Ang. Præcep. 4. sent. dist. 29. q. unica a. 4. matrimonium est quasi quedam perpetua servitus, a qua sumus liberi a natura.

235. Non comprehenduntur in dicta censura, qui matrimonium injuste impediunt, quia solum est lata contra cogentes ad illud. Nec parentes, aut alii privati, qui filios, aut alios ad contrahendum cogunt; licet enim peccent, censura tamen est imposita tantum contra gaudentes jurisdictione in foro exteriori. Neque isti illam incurrun, dum juste secundum allegata, & probata, esto injuste forte in rei veritate compellunt. Præ oculis tamen semper habeant exitum matrimonii, ad quod compellunt. Si enim ex eo dissidia, jurgia, rixæ, aut alia incommoda timeantur, satius erit desistere a compulsionem. Non enim semel cessare ab arte ars est.

236. Subinde agendum erat de impedimento ordinis. At de eo simul cum voto satis supra est discussum. Sequebatur immediate impedimentum ligaminis, quo dirimitur quodcumque matrimonium, priore existente contractu. Sed de hoc etiam sufficienter dictum est toto hoc capite, præcipue agendo de ejus essentia, de poligamia, bigamia, bimestri, divortio, & crimine.

PUNCTUM XII.

Honestas.

237. Inq. 1. Quid sit honestas? R. Est propinquitas personarum ex sponsalibus validis, & ex matrimonio rato proveniens. Oritur autem ex matrimonio etiam nullo, dummodo nullum non sit ex defectu consensus. Non oritur ex sponsalibus conditionalis, donec conditio impleta in absoluta transeat, nec ex sponsalibus ex quocumque capite invalidis. Nec ex matrimonio rato, nullo ex defectu consensus, aut in præjudicium priorum sponsalium. Unde si Cajus duxit Bertam consensu ficto, aut ex metu gravi, aut ex errore personæ, non oritur honestas: ideoque poterit contrahere cum consanguineis Bertæ, & ista cum consanguineis Caji. Item si Petrus dedit sponsalia Titia, & postea contrahat cum ejus sorore, matrimonium est nullum ob honestatem ex sponsalibus cum Titia ortam. At declarata nullitate matrimonii, potest, & debet contrahere cum Titia; quia licet ex matrimonio, etiam nullo, non ex defectu consensus, oriatur honestas,

Cap. III. De impedimentis matrimonii.

tas, non tamen in præjudicium priorum sponsalium, ut constat ex cap. unic. de sponsal. in 6.

238. Inq. 2. An ex matrimonio nullo ex defectu Parochi, & testium oriatur hoc impedimentum? R. affirm. Quia non fuit nullum ob defectum consensus. Contrahentes enim ex sua parte verum, & liberum posuerunt consensum: igitur non fuit nullum ex defectu consensus, sed ex defectu solemnitate.

239. Inq. 3. Quo jure dirimat matrimonium impedimentum honestatis? R. Dirimere solum ex jure ecclesiastico. Justum enim est, & decori, ac decencie congruit, nequis contrahat matrimonium cum consanguinea illius, cum qua prius fuerat desponsatus. Unde communiter dicitur impedimentum publicæ honestatis. Si quis ante baptismum desponsatus esset cum Berta, poterit post illum ducere ejus sororem; quia ante baptismum non contrahitur hoc impedimentum solo ecclesiastico jure introductum.

240. Inq. 4. Inter quas personas oriatur hoc impedimentum? R. Quod ex sponsalibus primum gradum non excedit. Unde sponsus nequit valide ducere matrem, sororem, aut filiam sponsæ; nec ista nubere patri, fratri, aut filio sponsi. Semel autem contracto impedimento, semper durat, licet sponsalia mutuo consensu, aut ex alia causa dissolvantur. Ex matrimonio autem rato extenditur honestas usque ad quartum gradum inclusive. Ideo si Cajus contrahit matrimonium cum Titia, esto hæc, illo non consummato, decedat, aut in religione profiteatur, nequit illud contrahere cum aliqua Titia consanguinea usque ad quartum gradum inclusive. Et idem est de Titia, si casu e contra accidat. ita ex Trid. Sess. 24. cap. 3. & ex declaratione S. Pii. V. in Brevis incip. Ad Romanum, dato 1568.

PUNCTUM XIII.

Affinitas.

241. Inq. 1. Quid sit affinitas? R. Est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens. Requiritur copula, quæ sit sufficiens pro consumando matrimonio. Item copula, qua ex duobus fiat una caro,

Oritur affinitas, tum ex copula licita in matrimonio, tum ex illicita extra illud. Ex prima extenditur, & dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, ex secunda usque ad secundum. Solus, qui copulam carnalem habet, fit affinis cum consanguineis feminae, & hæc cum consanguineis viri: At consanguinei utriusque non fiunt affines inter se; quia affinitas non parit affinitatem, sicut nec honestas honestatem. Unde duo fratres possunt ducere duas sorores, ut vitricus uxorem privigni. Affinitas superveniens matrimonio ex copula cum consanguineo alterius conjugis intra secundum gradum habita, illud non dissolvit; privat tamen incestuosum jure petendi debitum. Ex coitu sodomitico nulla affinitas contrahitur, quia in eo non fit seminum commixtio: idem propter eandem rationem est de copula eunuchi. D. Thom. ibi. q. 55.

242. Inq. 2. Quo jure affinitas dirimat matrimonium? R. Affinitatem ortam ex copula illicita in nullo gradu dirimere illud jure naturæ. Nam ex copula fornicaria nulla oritur propinquitas, quæ decorem, aut reverentiam generet. Igitur solo jure ecclesiastico dirimit matrimonium usque ad secundum gradum. Pariter est certum, quod affinitas orta ex copula licita non dirimit illud jure naturæ in primo gradu lineæ transversalis. Ideo valida fuit dispensatio a Julio 2. concessa Henrico VIII. pro matrimonio cum Catharina, quæ fuerat uxor Arturi fratris illius. Quamvis aliam deperiens, Catharinam postea repudiaverit prætextu nullitatis dispensationis. Et quia abyssus abyssum invocat, Rex miser prius schismaticus, deinde hereticus factus, denique omnia perdidit.

243. Objic. Marc. 6. Joannes Baptista reprehendit Herodem, quia uxorem fratris sui in conjugem accepit, ergo quia jure naturæ hoc erat prohibitum. R. neg. conseq. Quia Herodes jure fuit reprehensus, tum quod acceperit in conjugem uxorem fratris sui adhuc viventis, tum quia, esto ille fuisset mortuus, reliquit tamen filiam, nempe Herodiadem saltatricem: quo in casu non poterat Herodes juxta Judæorum legem, cui stare tenebatur, accipere in conjugem fratris sui uxorem. Nota vero, quod licet in principio sui regiminis soleat Pontifex dispensa-

re in hoc gradu, ut pateat id posse, postea tamen difficillime, & non nisi cum aliquo Principe dispensat in eo, nec congruit dispensare.

244. Inq. 3. An in primo gradu affinitatis lineæ rectæ sit jure naturæ nullum matrimonium, ut inter socerum & nurrum? R. Neg. quia esto sit illicitum jure naturæ, cum dedecet conjugium inter superiorem, & inferiorem; non tamen ita dedecet, sicut inter patrem, & filiam. Ideo istud est jure naturæ nullum, cum filia habeat per se suum esse a patre, & sit una caro cum illo; at ob oppositam rationem contrarium est dicendum de socero, & nuru, & de socru & genero. Neque enim sunt una caro, nec unus ab alio procedit. Unde duo inferuntur. Primum, in nullo gradu affinitatis esse nullum matrimonium jure naturæ. Secundum, ex gravissima causa posse Pontificem in primo etiam gradu lineæ rectæ affinitatis dispensare, esto hucusque nunquam dispensaverit, sed a dispensando, abstinerit, ut ait Bened. XIV. in Syn. lib. 9. cap. 13. n. 4.

PUNCTUM XIV.

Impotentia.

245. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit impotentia? R. Est *inhabilitas ad copulam consumandam*, Nam licet quis possit habere copulam, si nequeat illam consummare effundendo verum semen intra vas naturale femine, adest impotentia. Alia provenit ab extrinseco, ut a maleficio; alia ab intrinseco, ut ex defectu naturali. Hæc in viro procedit, ut ex nimia frigiditate, debilitate, aut ætatis excessu, ut in senibus; vel ex defectu ætatis, ut in pueris, vel ex improporione membri nimis excessivi, aut nimis parvi, vel ex carentia non unius, sed utriusque testiculi, vel ex eorum attritione, ita ut nequeat penetrare vas femineum, & emittere intra idem semen verum. In femina autem procedit, vel ex defectu ætatis, ut in puellis ante pubertatem, vel ex nimia arctitudine vasis, vel etiam provenire valet a maleficio. Sterilitas non est impotentia, quia apti sunt ad copulam, & solum accidentaliter steriles non generant. Ideo eorum matrimonium validum est, ut in Sara, uxore Abraham, & in

Elisabet matre Joannis Baptistæ cernitur.

246. Rursus impotentia, alia est absoluta respectu omnium; alia respectiva; hoc est, respectu alicujus tantum. Ut qui esset potens pro viduis, impotens vero pro virginibus. Utræque dividitur in perpetuam, quæ tolli nequit sine peccato, periculo mortis, aut miraculo; & in temporalem, seu ad tempus, quæ tolli valet mediis ordinariis, esto aliquo incommodo, dolore, precibus, aut exorcismis. Denique impotentia perpetua, alia antecedit, alia subsequitur matrimonium.

247. Inq. 2. Quæ impotentia dirimat matrimonium? R. Impotentiam perpetuam antecedentem, undecumque proveniat, si fuerit absoluta respectu omnium, si fuerit respectiva, respectu illius personæ dirimat matrimonium jure naturæ, & ecclesiastico. Jure naturæ, quia matrimonium primario ordinatur ad conservationem speciei, ergo ubi hæc locum non habet, nullum est matrimonium. Nec opposita copulam non esse essentialiter matrimonium. Nam esto ipsa in re non sit essentialis, est tamen in aptitudine. Igitur qui perpetuo sunt inepti ad copulam, jure naturæ sunt inhabiles ad matrimonium. D. Thom. *suppl. q. 58. a. 1.* Jure etiam ecclesiastico est nullum tale matrimonium ex toto tit. *de frigidis, & maleficiatis in 4. Decret.*

248. Inq. 3. An impotens queat contrahere matrimonium cum femina conscia sui defectus? R. Neg. Quia deficit materia remota matrimonii, nempe corpus aptum ad generationem. Nec femina cedere potest juri suo contra naturam ipsius matrimonii. Textus autem canonici, qui illud videntur concedere, loquuntur, vel de impedimento superveniente, vel quoad pactum solum, quoad amicabilem societatem, seu ad mutua obsequia domestica sine vestigio matrimonii. Sic enim valet *ioire pactum vivendi, ut frater, soror, & hoc probant textus dicentes: ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Unde frigidi, & eunuchi, utroque testiculo evirati, aut membro virili privati, seu perpetuo maleficiati penitus inhabiles sunt ad contrahendum matrimonium, & graviter peccant, si id attemptent. Pariter peccatum grave committit, qui dubitans de sua impotentia contrahit; quia exponitur periculo nulliter contrahendi & decipiendi alteram

teram partem. Moribundus autem, alias potens, valet, & aliquando debet contrahere matrimonium ad consulendum honori femine, cum qua rem habuit, quia ex se habet corpus habile ad finem matrimonii.

249. Inq. 4. Quid sit agendum, quando reperitur impotentia inter conjuges? R. Quod si est certa, statim debent reclamare ad Episcopum, ut juxta sacros canones provideat, quid faciendum. Ipsi tamen debeat separare eorum, abstinendo se ab omni, quod solutis est illicitum. Quando autem est dubia, concedit illis jus canonicum ex lege Justiniani approbata ab Ecclesia experimentum triennale, ut apponant diligentias congruas pro matrimonio consumando juxta qualitatem impotentiae naturales, si illa naturalis sit: spirituales vero, si procedat a maleficio. Hoc triennium computandum est a die, quo attentata fuit ab eis copula, quando attentata est ex parte viri. Dum vero se tenet ex parte femine, a die, quo coeperunt adhiberi remedia. Si hæc non proficiunt, præmissa partium inspectione respectiva a personis honestis juramento utriusque de copula non habita, & vicinorum, qui etiam jurare debent se ita credere ex eorum auditu, separandi sunt a Judice quoad totum, & etiam quoad habitationem, nisi velint vivere ut fratres, vel in fraterna societate, quod ipsis conceditur in cap. *Consultationi, de frig. & malefic.*

250. Inq. 5. Quid sit agendum, quando impotentia provenit a maleficio? R. Applicanda esse remedia spiritualia, ut exorcismi, preces, & præsertim probitas vite, & frequentia devota sacramentorum. Si nequeat mederi, nisi alio maleficio, impotentia est perpetua, quia id nequit intendi. Si autem tolli valet medio licito, esto maleficus utatur illicito, potest ab eo peti, ut illud tollat, sicut ab usurario in necessitate peti valet mutuum. Si consistat in aliquo signo, potest adiri etiam ejus opifex, ut illud destruat. Denique si adhibita experientia, & diligentia triennali, perseverat impotentia, separandi sunt a conjugio juxta nuper dicta. Idem est, quidquid alii sentiant, quando verificatur ex quocumque capite impotentia perpetua, & dubitatur, an præcesserit matrimonium; tunc enim solum judicandum est

in favorem matrimonii, quando valet sortiri suum effectum; in casu autem veræ impotentiae nequit habere effectum, proindeque contra illud est decidendum.

251. Inq. 6. Quid dicendum, si facta separatione, reputatus impotens reperitur potens? R. Sub distinctione. Vel enim separatio fuit facta ob impotentiam respectivam, & hoc casu tenet separatio, & valet nubere alteri, respectu ejus potens sit. Vel fuit facta separatio ob impotentiam absolutam, & tunc non tenet separatio, sed matrimonium, ad quod redire debent ambo, esto uxor v. g. alias nuptias celebrasset, quia hoc conjugium fuit nullum, & primum validum. Nisi religionem jam fuisset solemniter professus, quo casu dissolutum fuit matrimonii vinculum. Si autem vir sacros ordines susceperit, & experiat se non esse impotentem, idem est dicendum, si uxor, esto alteri nupta, repetat illum: quo in casu tenetur reddere debitum, nequit tamen illud petere ob votum ordinis sacri.

PUNCTUM XV.

Alia dubia de impotentia.

252. Inq. 1. Quid sit dicendum de impotentia ex ætate procedente? R. Posse procedere ex defectu, ut in pueris, vel ex excessu, ut in senibus. Prima impotentia solum est ad tempus; secunda vero potest esse perpetua. Nam licet regulariter senes, esto decrepiti, & steriles valeant contrahere matrimonium, quia reputantur apti ad illud consumandum; tamen si adeo exhausti jam sint, ut judicio medicorum, & forte experientia omnino impotentes ad copulam reperiantur, nequeunt illud contrahere, & si contrahant, nullum est; quia impotentia absoluta, undecumque proveniat, dirimit matrimonium subsequens. At si superveniat, dirimit illud quoad totum, non quoad vinculum. Unde tales senes nequeunt conari ad copulam, si experiantur nunquam posse illam consumare. Verum si quandoque illam consumant, esto multoties nequeant, non sunt privandi jure conjugii. Idem est de non senibus in casu supervenientis defectus, ob quem sæpe non possunt intra vas seminare, si aliquoties possint. Si aq.

tem nunquam valeant, debent torum omnino separare, & solum licent eis aliqui tactus honesti ad mutuum amorem conservandum, seclusa omni turpitudine, & periculo pollutionis.

253. Inq. 2. Quando ex defectu ætatis sit nullum matrimonium? R. Jure ecclesiastico esse nullum in pueris ante decimum quartum ætatis annum, & in puellis ante duodecimum completum, nisi malitia suppleat ætatem; quia his temporibus, & non antea, præsumit Ecclesia advenire illis pubertatem, & sufficientem discretionem. Tunc autem dicitur malitiam supplere ætatem, quando experientia constat potentes esse ad copulam, vel quia illam, vel pollutionem jam habuerunt, & eo ipso præsumitur sufficienti discretionem ad consensum pollere; ubi enim adest potentia generandi, censetur adesse maturitas iudicii in persona rationis compote. Supposito usu rationis, nunquam est nullum matrimonium jure naturæ ex defectu ætatis, quia impotentia puerilis non est perpetua. D. Thom. *ibi. q. 58. a. 5.*

254. Inq. 3. Quid sit agendum, quando femina arcta est ad copulam? R. Sub distinctione. Vel enim ita arcta est, ut sine peccato, miraculo, aut mortis periculo nequeat aptari, vel non. Si primum, nullum est matrimonium, ut ex dictis patet. Si secundum, validum est matrimonium. In hoc autem casu debet femina adhibere remedia congrua, etiam cum incisione, & gravi dolore, secluso mortis periculo. Verum, esto recuset usum remediorum, matrimonium validum est, cum impotentia hæc ex se non sit perpetua. Si ex remediis timeretur dolor diuturnus, aut morbus gravissimus, aut vir consentiret in ejus reluctantia ad medicamenta, vel ipsa ingredi vellet religionem, libera esset ab obligatione admittendi remedia. Si autem femina non habeat specialem artitudinem, præter virginibus communem, & vir, quia debilis, aut senex nequeat eam cognoscere, tenetur iste, non illa adhibere, & pati remedia, quia defectus se tenet ex parte viri, non virginis. Quamvis autem neuter vellet admittere remedia, tenet matrimonium, quia impotentia, qua tolli potest mediis licitis, arte, aut medicina, non est perpetua, nec dirimit matrimonium.

255. Inq. 4. An impotentia superveniens matrimonio dirimat illud? R. neg. Quia vinculum matrimonii est indissolubile jure naturæ, & divino. Si autem ante ejus consumationem adveniat impotentia ex caso inopinato, ut ex abscissione membri, vel privatione non unius, sed utriusque testiculi, vel alterius similis eventus, si alter ingrediatur religionem, & emitat professionem solemnem, tunc non ratione impotentiae, sed ex natura professionis dirimitur vinculum matrimonii rati. Si neuter velit hoc medium assumere, vivant, ut supra est dictum, abstinendo a copula, & ab omni actione afferente periculum pollutionis.

256. Inq. 5. An Hermaphroditii valeant licite contrahere matrimonium? R. Quod juxta sexum prævalentem possunt. Parochus autem vocatus ad assistendum matrimonio, in quo unus contrahentium est Hermaphroditus, debet priusquam assistat efficere, ut ille coram Judice ecclesiastico declaret sexum, quem eligit, & juret se juxta sexum electum permanstrum pertotam vitam. Aliter nequit Parochus assistere tali matrimonio. Si Hermaphroditus contrahat juxta sexum minus prævalentem, invalide contrahit, sicut femina cum foemina, aut vir cum viro. Si denique uterque sexus æqualiter prævaleat, quod vix accidit, juxta quemlibet posset valide contrahere: ita ut nunc ut vir, & mortua conjuge, ut foemina validum matrimonium iniret, sed gravissime peccaret; tum ob abusum sexus, tum ob perjurium dictum Hermaphroditii æqualis sexus invalide inter se contraherent. Esset enim quedam species polygamiae cum periculo usus promiscui sexus, detestabilis ipsi naturæ rationali.

PUNCTUM XVI.

De matrimonio clandestino.

257. Inq. 1. Quid sit matrimonium clandestinum? R. Est illud, quod *clam*, aut *occulte* celebratur. Aliud est clandestinum *simpliciter*, aliud *secundum quid*. Matrimonium clandestinum simpliciter est, quod non contrahitur coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus. Illud vero, quod contrahitur absque denuntiationibus, est clandestinum secundum quid. Primum est

illi.

illicitum, & invalidum jure Ecclesiastico ob plura inconvenientia, fraudes, & pericula, ex matrimonii privatis obvenientia; secundum autem est illicitum, sed validum. Ante Tridentinum matrimonia clandestina erant valida, quia non erat jus illa irritans; erant tamen illicita ab Ecclesie initio, & ea expresse prohibuit Evaristus Papa. Nunc autem declarata sunt nulla a Trid. *Sess. 24. Cap. 1.*

258. Objic. Ecclesia nequit mutare materias, & formas sacramentorum; sed consensus clandestinus erat antea materia, & forma matrimonii, ergo etiam nunc. R. Ecclesiam non mutasse materiam, aut formam matrimonii, sed præscripsisse conditionem, sub qua iniri debeat. Jus civile declarat contractum pupilli nullum absque tutoris consensu; ita iugiter Ecclesia declarat contractum matrimonii nullum absque præsentia Parochi, & testium ad vitandas fraudes: ne matrimonio occulte inito cum una, aliud iniatu cum alia, cum qua quidam perversi homines vivebant in perpetuo concubinato, relicta uxore propria.

259. Inq. 2. An assistentia Parochi, & testium debeat esse simultanea? R. affirm. Quia requiritur, ut legitime constet Ecclesie de matrimonio celebrato, quod non habetur, nisi contestes, & simul assistant matrimonio. Ideo Parochus solus, aut soli testes non sufficiunt, sed debent assistere Parochus, & duo saltem testes simul. Unde si matrimonium celebretur, etiam coram centum testibus sine Parocho, est nullum. Sufficiunt autem duo testes, quicumque illi sint, si usu rationis gaudeant, sive viri, sive foeminae, parentes, filii, aut etiam infideles, quia concilium solum præscribit duos testes debere adesse, & non omiteret designare eorum qualitates, si ad valorem matrimonii, sicut ad alios contractus, essent necessariae. Debent tamen tam Parochus, quam testes adesse, non solum præsentia phsica, sed morali; ita ut percipiant quod fit, & de eo testificari valeant. Unde, si qui contraherent coram Parocho, & testibus dormientibus, nihil efficerent, quia dormientes testes adhiberent.

260. Inq. 3. An sit validum matrimonium, cui Parochus, & testes vi, aut dolo coacti assistunt, percipiendo quid agi-

tur? R. affirm. Quia, semel quod assistant, & percipiant, possunt testificari de matrimonio coram se contracto; & nihil amplius requiritur a Consilio pro ejus valore. Imo, esto Parochus oculos, & aures occludens assereret non videre, nec audire, nihil efficeret, nisi forte dare occasionem litibus, & dubiis. Ideo licet Parochus sollicitè debeat vitare hujusmodi matrimonia, dum possit, & monere serio contrahentes, ut ab eisdem abstineant; tamen si casus contingat, non est necesse obturare aures, nec velare faciem; sed patefacere contra suam voluntatem id fieri. Esto enim ex industria aliquem ex contrahentibus non videat, validum est matrimonium, ut ait Bened. XIV. in Synod. *lib. 13. cap. 23. num. 10.*

261. Inq. 4. An Parochus, & testes debeant esse vocati, ut matrimonium coram illis contractum sit validum? R. neg. Si enim, etiam vi, aut dolo coacti, sufficiat eorum præsentia, legitime videtur inferri non requiri, quod sint vocati, & rogati. Præterquamquod nemo negare valet sufficientem esse testem homicidii illum, qui casu transiens vidit hominem jugulari. Igitur quoties Parochus, & testes ita sint præsentis, ut videant, aut immediate audiant matrimonium coram se contractum, & de eo testificari possint, salvatur decretum, & finis Concilii, & consequenter nihil deficit ad valorem matrimonii. Peccant tamen gravissime sic contrahentes peccato sacrilegii, inobedientiae, injustitiae, & scandali, ideoque juste puniuntur ab Ecclesia, aut ejus Pastoribus. Sed aliud est matrimonium esse illicitum, aliud esse invalidum. Pone exemplum, quod Cajus, & Berta ad cenam invitati cum aliis a Parocho lignoris eorum intentionem, dicunt coram eis, interpellando Parochum alta voce, verba exprimentia contractum matrimonii. In hoc casu nullus fuit vocatus ad assistendum matrimonio, & tamen quis audebit asserere Cajum, & Bertam esse liberos, & posse ad alias nuptias transire? Igitur, nisi Ecclesia aliud declaret, dicendum est hoc, aut similia matrimonia esse valida esto illicita. *Nam ad fidem rei gestæ faciendam, etiam non rogatus testis intelligitur ex leg. 4. ff. de testib.* Maxime quod in ipso actu contrahendi, elevando vocem, vel convertendo se contrahentes

ad

ad Parochum, satis ipse monetur, ut auscultet, & advertat ad matrimonium, quod celebratur. Ita decisum fuit a S. Congreg. apud Bened. XIV. ubi supra num. 1.

PUNCTUM XVII.

Alia dubia de matrimonio clandestino.

262. Inq. 1. An in aliquo casu magnæ urgentiæ, aut necessitatis valeat matrimonium sine Parocho, & testibus? R. In nullo casu valere in locis, ubi viget decretum Tridentini; quia licet necessitas, aut ignorantia excuset a culpa, non tamen a nullitate, quia esto excusent a lege præceptiva, non vero a lege irritativa. Quæ ratione si quis ignoranter contraheret cum consanguinea, non peccaret; nullum tamen esset matrimonium: igitur idem est in presentibus. Sive enim contrahant ex necessitate, sive ex ignorantia sine Parocho, & testibus, semper matrimonium est nullum. Imo si peregrini loci, ubi Tridentinum non est receptum, transeundo per loca, ubi est admissum, contrahant more suæ patriæ sine Parocho, & testibus, nullum est matrimonium, quia peregrini tenentur legibus locorum, per quæ transeunt, saltem quoad contractus, & solemnitates eorum. Unde, sicut alii contractus contra leges irritantes ab eis initi essent nulli, ita etiam matrimonium.

263. Dices: ergo e converso incolæ loci, ubi Tridentinum est receptum, transeuntes per loca, ubi non est receptum, poterunt contrahere valide sine Parocho, & testibus. R. Disting. conseq. Vel enim illuc pergunt casualiter, sive ad alia negotia; vel animo ibi contrahendi, se subrahendo a lege Tridentini. Si primum, validum est matrimonium, quidquid dicat Concina, quia Tridentinum non obligat nisi ubi est publicatum, ut idem Concilium exprimit. Si secundum, nullum est matrimonium, quia fraus nemini debet patrocinari: maxime cum ad sit declaratio S. Congreg. sic determinantis, ut plures testantur apud Bened. XIV. *Sinod. lib. 13. cap. 4. num. 10.* eamque ipse S. Pontifex confirmat.

264. Inq. 2. An matrimonia contracta in Holandia, Zelandia, Frisia, & aliis Provinciis federatis Belgii sine Parocho, & testibus sint valida? R. Esse valida si contrahantur inter hæreticos, aut inter hæreti-

cum, & catholicam, vel econtra: esse vel in invalida sic innata inter catholicos ibi degentes. Ita Bened. 14. in const. incipiente: *Matrimonia*; et in *Syn. lib. 6. cap. 6. a num. 6.* Ideo autem matrimonia inter catholicos ibi contracta sine Parocho, & testibus sunt nulla, quia in illis provinciis receptum fuit Tridentinum tempore, quo subjectæ erant Hispaniarum Regi (ob hoc etiam obsequium præter alia præclara in cultum catholicæ religionis exhibita,] Ecclesiæ meritissimo. Cum igitur, semper ad sint ibi Parochi, vel Missionarii catholici, debent contrahentes, quando uterque est catholicus, coram aliquo eorum, & testibus juxta formam Tridentini matrimonium celebrare. Si autem in locis hæreticorum, aut infidelium nequeat haberi Parochus, aut Missionarius, adhiberi debent saltem duo testes, non ad valorem, nisi Tridentinum nunquam fuit receptum, sed ad licitum.

265. Inq. 3. An contracto matrimonio in dictis Provinciis a duobus Catholicis juxta formam Tridentini, possint illud ratificare coram Magistratu, seu ministro hæretico, ubi ad hoc compelluntur? R. Quod sistere se coram eo, tamquam ministro mere civili, & politico, possunt, salva conscientia, ad vitanda gravia præjudicia; secus vero, tamquam ministro sacris addito. Sic enim graviter peccarent, ut ex declarat. S. Congreg. ait laudatus Pontifex *ibid. cap. 7. num. 2.*

266. Addit autem num. 3. & seq. quod si compellantur se sistere coram ministro hæretico, priusquam contrahant matrimonium coram Parocho, & testibus, minime licet eis uti conjugio ante contractionem juxta formam Tridentini; quod utique nemo ambigere debuit, cum illud non sit pro catholicis matrimonium, sed quidam actus mere politicus, & civilis. Uterius docet, quod reneat Parochus assistere matrimonio, cum scit adesse aliquod impedimentum, esto sit solum impediens, vel ex sola notitia privata illud sciat.

267. Inq. 4. Quanam sint matrimonia conscientie? R. Matrimonia conscientie dici illa, quæ coram Parocho, & testibus in occulto contrahuntur, huiusmodi in publico ignorentur propter quadam inconvenientiam, quæ ex publicatione prodire valent. En exemplum. Cajus, & Berta inæqualis conditionis contrahere cupiunt, & forte ex

pre-

præteritis illicitis actibus, & prole suscepta debent: postulant ab Episcopo licentiam contraheendi occulte, & ita de facto contrahunt. Hæc aut similia appellantur *matrimonia conscientie*.

268. Inq. 5. An aliquando, sint licita dicta matrimonia? R. Esse ut plurimum illicita; aliquando tamen ex gravibus causis, & debitis conditionibus suppositis, esse licita, ait Bened. XIV. *ubi supra lib. 13. cap. 23. num. 13.*

269. Conditiones autem ad ea requisitæ præcipuæ sunt sex: 1. Quod Episcopus non de facili, sed maturo judicio dispenset pro talibus matrimoniis. 2. Quod contrahantur coram Parocho, & testibus secretis, ne facile publicentur. 3. Ne contrahantur a filiis familias, aut a personis ecclesiasticis, seu ordinibus minoribus initiatis, aut ligatis aliquo impedimento. 4. Quod iniantur coram Parocho saltem unius contrahentium, vel alio Sacerdote probo, & docto de licentia Episcopi, qui moneat conjuges sobolem, si quam habuerint, quantocius esse baptizandam, atque in virtute educandam, agnoscendamque, ut legitimam. 5. Quod Parochus, aut alius sacerdos illico exhibeat Episcopo documentum de matrimonio contracto cum nota loci, temporis, & testium, qui celebrationi interfuerunt: quæ omnia transcribantur in libro separato, ubi similia matrimonia extracta diligenter ab Episcopo custodiantur. 6. Quod proles, siquæ oriatur, baptizetur in Ecclesia, suppresso nomine parentum. At pater, aut mater illius statim Episcopum certiorum faciat de prole, ut ei constet de sua legitimitate, & baptismi; quod si secus fiat, Episcopus talia matrimonia nota, & publica faciat. Ita laud. Pontif. in const. *Satis vobis 17. Novemb. 1741.*

270. Inq. 6. Quanam sint matrimonia ad *morganaticam*? R. Esse illa, quæ contrahuntur a viris nobilibus, qui, mortua uxore paris nobilitatis, post susceptos ab ea filios, ducere cupiunt aliam imparis nobilitatis juxta formam Trident. in occulto, ad vitanda dictoria sub conditione: *Ut tam mulier, quam filii, ex eo matrimonio nascituri, nihil sub juris ex eo acquirere possint. Hujus conditionis vi, & mulier a participanda mariti dignitate excluditur, & filii ab omnibus titulis, muneribus, & paternorum, avitorumque bonorum successio-*

ne extranei censentur, aut idem Pontifex in Syn. lib. 13. cap. 23. num. 12. ubi etiam ait ab eodem Pontifice confirmatum.

PUNCTUM XVIII.

De Parocho requisito pro valore

matrimonii.

271. Inq. 1. Quis sit Parochus proprius pro valore matrimonii? R. Esse Parochum domicilii contrahentium, vel alterius eorum. Sufficit enim, quod assistat Parochus domicilii foemine, aut viri. Non autem sufficit Parochus originis, aut omnes testantur. Si vir, aut foemina habeat æquale domicilium in duplici Parochia, quia in hys in una, & in ætate in alia habitat; habet etiam duplicem Parochiam, & coram quolibet valet contrahere matrimonium. Pariter est proprius Parochus ille, in cujus Parochia quis permanet per majorem partem anni; ideo scholastici, mercatores, milites, & similes, qui in aliquo loco majore parte anni ad sua studia, vel negotia morantur, contrahere possunt coram Parocho illius loci. Secus autem, si solum ad breve tempus exeant a sua Parochia, licet aliquibus diebus in altera commorentur alicujus negotii, vel recreationis gratia; quia ad acquirendum domicilium, requiritur, vel commoratio pro majore parte anni, vel habitatio aliqua, saltem unius mensis cum animo perpetuo ibi commorandi, vel saltem per majorem partem anni. Parochus in carceribus existentium est ille, in cujus Parochia situs est carcer, dummodo incarcerationati sint per sententiam Judicis, secus vero, si solum ad custodiam detineantur; quia tunc Parochus domicilii eorum retinet jus assistendi eorum matrimoniis. Parochus expositorum, vel educandorum in hospitalibus est ille, in cujus Parochia est hospitale, non Capellanus. Educandorum in monasteriis est Parochus domicilii parentum, vel fratrum eorum, si illos habuerint, sin autem, Parochus ille, ubi situm est monasterium. Hæc omnia Bened. XIV. *instit. 33. ex variis decision. S. Congreg.* Parochus tandem servientium est ille, qui ante famulatum curam illorum habebat, vel in cujus Parochia est familia illorum. Idem Bened. *instit. 8. num. 5. 20.* Quilibet Sacerdos ex licentia Episcopi valide assistit matrimonio, quia

vere

vere assistit ex licentia Parochi. Secus autem, si Sacerdos non esset: quia requiritur Parochus, vel Sacerdos de ejus licentia. Unde si Diaconus, aut Subdiaconus delegatus assisteret, nihil efficeret.

272. Inq. 2. An Parochus extra suam Parochiam, aut Diocesim possit assistere matrimonio suorum subditorum? R. Posse valide, non vero licite absque licentia Parochi illius loci. Ratio primi, quia est vere Parochus illorum, & sicut valet eos absolvere, ita potest eos conjungere. Ratio secundi est, quia pro exercenda jurisdictione publice in Parochia aliena requiritur consensus Parochi illius. Non tamen esset peccatum grave, quia jurisdicção voluntaria, & mere gratiosa exercita in propriis ovibus non offendit graviter jus alterius Parochi, esto semper deceat, quod consensus illius precedat, secluso casu urgentiæ, aut necessitatis. Si autem Parochus alienus, vel alius Sacerdos assisteret sine licentia Parochi alicujus contrahentium, matrimonium esset nullum, peccaret graviter, & maneret suspensus ab officio, & beneficio Parochiali, donec absolveretur ab Episcopo, cujus ministerium usurpavit. Ex cap. 1. Trident. sess. 24.

273. Inq. 3. Quis sit Parochus peregrinorum, & vagorum? R. Peregrinos habere domicilium fixum, ideoque Parochus illius domicilii, & non alius, potest valide assistere eorum matrimonio. Vagi autem sunt, qui non habent domicilium fixum, ideoque quilibet Parochus est proprius eorum, ita ut coram quovis vere Parocho possint contrahere matrimonium. Imo si unus est incola, alter vero vagus possunt ambo eodem modo contrahere, ac si uterque esset vagus; quia ad valorem matrimonii sufficit assistentia Parochi proprii unius contrahentium. Item Parochus loci, ubi vagi contrahere volunt, potest dare licentiam cuilibet Sacerdoti, ut eorum matrimonio assistat. Præcedere tamen debet licentia Episcopi, & diligens inquisitio de vagorum libertate, ut licite Parochus, aut alius Sacerdos de ejus consensu eorum matrimonio intersit. Sed esto hæc non precedant, validum erit matrimonium, ut ex dictis liquet. Unde si Cajus, & Berta liberi, relicto penitus domicilio proprio, exeunt a suo loco, animo illud figendi in alio, & in itinere contrahant coram testibus, &

Parocho loci, in quo reperiuntur, validum est matrimonium; tunc enim sunt vagi, quia non habent domicilium proprium. Non primum, quia illud dereliquerunt; nec secundum, quod nondum acquisierunt.

274. Inq. 4. An valide assistat matrimonio Parochus, cui Episcopus ob crimen, vel imperitiam id prohibuit? R. affirm. Quia supponitur vere Parochus, & Episcopus nec potest, nec vult derogare decreto Tridentini. Unde male docet Concina in præsentii asserens contra Salmanticenses, Episcopum subtrahere Parocho facultatem assistendi matrimonio, quod omnino falsum est, utpote contrarium responsis sacri congreg. Peccabit sane Parochus assistendo, sed matrimonium tenebit. Imo, esto prohibitio esset summi Pontificis, nisi simul adsit decretum Papale irritans matrimonium, validum existit, ut ait Bened. XIV. in Syn. lib. 12. cap. 5. n. 2. & 3. & lib. 13. cap. 23. n. 1.

275. Inq. 5. An debeat esse Sacerdos Parochus, ut valide assistat matrimonio? R. neg. Quia nec Concilium id exprimit, nec ad ejus finem requiritur amplius, nisi quod sit testis authorizabilis, quod optime salvatur in Parocho, Provisore, aut Episcopo nondum Sacerdote. Sine Sacerdotio enim potest esse verus Parochus, Provisor, & etiam Episcopus ante sui consecrationem. Nec est audiendus Concina, qui oppositum asserit, contendens Parochum esse ministrum matrimonii contra expressam litteram D. Thomæ, docentis benedictionem Sacerdotis non esse formam sacramentis, sed quoddam sacramentale, ut diximus num. 56.

276. Objic. Concilium dicit nullum esse matrimonium contractum aliter, quam præsentie Parocho, vel alio Sacerdote; ergo supponit ipsum Parochum debere esse Sacerdotem. R. neg. conseq. Nam in primis non inferitur, quia, Luc. 21. dicitur: *crucifixi sunt cum eo alii duo latrones, ubi ly duo alii non significat similitudinem, sed relationem, esto valde dissimilem. Verum licet verba Concilii inferent similitudinem hoc esset quia regulariter ita accidit, non tamen quia sit necessarium, ut patet ex cap. Nuper, de sent. ex com. ubi absolutio ab excommunicatione non reservata committitur proprio Sacerdoti, & tamen Parochus non Sacerdos valet eam imperitiam*

277. Juxta omnes Parochus non Sacerdos potest dare licentiam assistendi matrimonio alteri cuicumque, qui sit Sacerdos; dummodo non sit excommunicatus vitandus: tunc enim peccaret graviter ipse, assistendo matrimonio, seclusa necessitate, & dando licentiam alteri excommunicato vitando: quia communicatio in sacris est peccatum grave in excommunicatis non toleratis, præciso casu necessitatis. Validum tamen est matrimonium, cui assistit Parochus vitandus, vel alius Sacerdos de ejus licentia; quia esto vitandus, est vere Parochus. Idem est de illo, qui, licet non sit vere talis, adest tamen titulus coloratus, & error communis, quod sit Parochus, quia tunc Ecclesia supplet defectum occultum ad vitanda plura incommoda. Si autem quaeras, an sit validum matrimonium Parochi solum minoribus initiati coram Sacerdote, cui dederat facultatem assistendi omni matrimonio? R. affirm. Quia, tum jurisdicção Parochi, tum facultas data Sacerdoti durabat usque ad momentum, in quo verum fuit Parochum contraxisse matrimonium.

278. Inq. 6. Quid debeat facere Parochus matrimonio assistens? R. Debere tria peragere. 1. Interrogare contrahentes, si velint se mutuo conjungere? 2. Eos benedicere dicens: *Ego vos conjungo in nomine Patris &c.* vel aliis verbis juxta consuetudinem loci. Hujus benedictionis ommissio voluntaria erit peccatum grave, quia negligeretur ritus Ecclesie in materia gravi. 3. Debet etiam sub gravi totum factum clare scribere in libro matrimoniorum, ut fidem faciat, dum oporteat. Nihil tamen horum exigitur pro valore. Debet etiam Parochus antea publicare tribus diebus denunciations, ut infra dicimus, & examinare in doctrina christiana eos, qui volunt nubere, & impedire matrimonium, donec illam, saltem quoad substantiam scient. Ita Bened. XIV. Sinod. lib. 8. cap. 14.

PUNCTUM XIX.

De denunciationibus.

279. Inq. 1. Quando denunciations fieri debeant? R. Debere fieri, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis

diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnias, ut publice denuntietur, inter quos matrimonium sit celebrandum. Ita decernitur a Trident. sess. 24. c. 1. Fidis hujus decreti est, ut, si aliquod adsit impedimentum inter contrahentes, denuntietur Parocho, aut Episcopo, ne matrimonium indebite contrahatur.

280. Inq. 2. An hæc denuntiationes requirantur ad valorem matrimonii? R. neg. Quia earum ommissio non efficit illud clandestinum simpliciter, sed tantum secundum quid; non ergo requiruntur ad validum, sed ad licitum, ut debite fiat. Sufficit autem, quod denunciations publicentur a Parocho, vel ab alio ex ejus commissione in Parochia utriusque contrahentis. Si hi diversæ sunt Parochiæ, in utraque fieri debent. Si mutaverint Parochiam, in qua diutius vixerunt, sunt faciendæ, nisi prudentia parochi, aut consuetudo loci aliud præscribat. Ibi enim debent fieri, ubi contrahentes sunt magis noti, & impedimenta facilius possint deprehendi.

281. Debent publicari inter Missarum solemnias, ut fit communiter; at fieri etiam valent extra Missam ante, aut post concionem, aut aliam functionem ecclesiasticam, ubi concursus populi assistit. Pariter faciendæ sunt tribus continuis diebus festis, ut tribus Dominicis continuatis, vel etiam tribus diebus Paschatis juxta Diocesis consuetudinem. Non officit quod aliquis festus dies omittatur, seu interpolatur, dummodo ter publicentur. Si autem, post denuntiationes, matrimonium per multum tempus differatur, denuo fieri debent; potest enim aliquod impedimentum supervenire. An vero eodem die, quo fit ultima denuntiatio, possit iniri matrimonium, standum est loci consuetudini.

282. Inq. 3. An sit peccatum grave has denuntiationes omittere? R. affirm. Quia est præceptum de re gravi, ideo Parochus sponte eas omitteus, incurreret suspensionem ab officio. Si autem adsit dispensatio, aut causa urgens contrahendi sine illis, nec peccat, nec poenam incurrit Parochus assistens matrimonio, illis prætermisissis, ut si in articulo mortis quis deberet contrahere pro honore fominæ, & legitimatione prolis. Ommissio unius denuntiationis etiam reputatur gravis. Tum quia fit contra præceptum grave. Tum

quia quod una die fuit ignorantum, altera potest detegi; vel qui non adstitit prioribus monitionibus, potest assistere ultimæ. Velationes, seu benedictio nuptiarum, secluso scandalo, contemptu, aut consuetudine iuxta plures non exiguntur sub gravi. Verum accipi debent a Parocho domicilii, ubi tunc degunt conjuges, ita ut si post matrimonium ante eas mutaverint domicilium, non a Parocho matrimonii, sed a Parocho domicilii imperitari debeant. Si quis absque licentia Parochi conferat benedictionem nuptialem, ipso facto manet suspensus, donec a Parochi Episcopo absolvatur. *Ex Trid. ubi supr.*

283. Inq. 4. Quis possit dispensare in denuntiationibus? R. Posse Episcopum, ejus Vicarium generalem, Abbates, & alios jurisdictione quasi Episcopali gaudentes. Peccarent tamen graviter dispensando sine causa. Quinque autem causæ pro licita dispensatione communiter referuntur. 1. Suspicio maligni impedimenti. 2. Vitatio infamiae contrahentium. 3. Eorundem conditionis, aut ætatis disparitatis. 4. Periculum scandalum, aut ruinæ spiritualis propriæ, aut alienæ. 5. Prolis legitimatio in articulo mortis; vel urgentia temporis, in quo solemnitas nuptialis prohibetur, vel alia causa sufficiens prudenti arbitrio Episcopi, cujus discretioni defert hoc negotium Synodus Tridentina, sicut etiam an denuntiationes dispensatæ pro contrahendo matrimonio sint postea faciendæ ante ejus consumationem. Postea enim dispensatio esse omnimoda, vel solum, ut ante eas possit contrahi matrimonium; quo in casu erit peccatum grave illud ante eas consummare.

284. Inq. 5. Qui teneantur impedimentum detegere? R. Omnes qui illud sciunt, sive ex visu, sive ex auditu a persona fide digna teneri Parocho manifestare, esto sit occultum, nec possit probare, quia non agitur de reo puniendo, sed de crimine vitando. Ideo licet illud quis sciat sub secreto jurato, excepto sacramentali, debet denunciare, nisi inde grave damnum sibi eveniendum timeat. Imo ipsi contrahentes tenentur, vel desistere a matrimonio, vel impedimentum fateri: quia Judici legitime interroganti, etiam reus ipse debet de plano veritatem aperire.

sup

Maxime dum Judex inquit non contra promotum, sed contra illum, qui vult promoveri, ut in casu præsentis, idcirco eo non requiritur, quod præcedat infamia. Nec requiritur judicialis cognitio causæ, nec duorum testium probatio, sed satis est dictum unius testis fide digni testificantis ex certa scientia sub juramento ad hoc, ut ab Episcopo credatur, & matrimonium impediatur. Imo esto solus Episcopus, vel Parochus sciat impedimentum, debet matrimonium impedire, quia licet nequeat Judex ex privata scientia in judicio agere in dambum, aut punitionem alicujus, bene vero in ejus favorem. Accedit, quod valet tunc Parochus impedimentum ad Superiorem, tamquam testis, deferre.

285. Inq. 6. Quid debeat agere Parochus, cui aliquid impedimentum revelatur? R. In primis debere fraternaliter contrahentes monere, ut abstineant a matrimonio, vel illud differant, donec dispensatio obtineatur. Si acquiescere nolint, debet Episcopum certum facere, & sine ejus consensu nullo modo assistere matrimonio, nec dare licentiam, ut alius Sacerdos pro eo assistat; alias cooperatur eorum peccatis. Si autem impedimentum sciat solum ex confessione, in ea debet matrimonium pro viribus dissuadere, finita vero confessione, si postulent ejus assistentiam, ac si nihil sciret, debet se gerere, ne violet sigillum sacramenti.

PUNCTUM XX.

Raptus.

286. Inq. 1. Quid sit raptus? R. Tripliciter accipi posse. 1. Ut impedimentum impediens matrimonii. Et sic est *violenta abductio uxoris de domo viri, ipsa renuente*. 2. Ut species luxuriæ, & sic definitur: *violenta abductio femine de loco in locum causa libidinis*. 3. Ut impedimentum dirimens matrimonii, & sic est *violenta abductio femine de loco ad locum causa matrimonii*. Primus raptus olim impediēbat matrimonium, non solum cum femina rapta post obitum mariti, sed & cum quocumque alia; ita ut cum nulla posset contrahere raptor sine dispensatione; nunc autem hoc impedimentum non est in usu.

Se-

Cap. III. De impedimentis matrimonii.

Secundus est species luxuriæ, de quo satis est dictum in sexto Decalogi præcepto. Solum igitur de tertio agimus in præsentis.

287. Dicitur autem *violenta abductio*, quia nisi per vim physicam, aut moralem ipsi illatam abducatur femina, non incurritur impedimentum, esto parentibus inferatur vis, si ipsa, licet dolo, aut fraude vere consentiat. Additur *femina* ad indicandum, tum quod quæcumque femina sive virgo, sive corrupta, sive sibi, sive alteri desponsata, sive bonæ, sive malæ famæ abducatur, adest raptus dirimens matrimonium, quia tollitur libertas ad illud, cui favere vult concilium. Tum quod, si femina violenter abducatur virum, secus est dicendum, quia non viro, sed imbecillitati femine attendit concilium. *De loco ad locum*: quia requiritur ad hunc raptum, quod femina abducatur de loco, ubi est in sua, vel parentum potestate, ad locum, ubi sit in potestate raptoris. Unde si raptor illam ducat de uno cubili ad aliud, vel ad partem tutam, in qua femina sua gaudeat libertate, non adest raptus. Additur denique *causa matrimonii*: in hoc quippe differt raptus ab specie luxuriæ, nempe, quod ad raptum speciem luxuriæ sufficit quæcumque violentia facta femine *causa libidinis*; ad raptum vero, de quo in præsentis, requiritur indicata abductio facta *causa matrimonii*. Unde si fiat ex alia causa, licet abducatur e domo paterna ad domum raptoris, non datur proprie raptus dirimens matrimonium.

288. Inq. 2. Quas penas incurrat raptor? R. Incurrere penas latas, & ferendas: nam ipso facto incurrit inhabilitatem ducendi raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, & excommunicationem majorem, quam incurrit omnes, qui consilium, auxilium, & favorem ei præbent. Alias autem penas, ut sunt inhabilitas ad dignitates, omissio gradus, infamia raptoris, & dotatio raptæ incurrit post sententiam Judicis. Nullam ex his penis incurrit adducens feminam violentem, aut consentientem, e domo parentum, etiam his invitis, quia concilium non meminit consensus, aut renitentia parentum, sed solius femine. Nec femina rapiens virum, quia concilium solum de raptore loquitur. Nota quod, sicut est

nullum matrimonium inter raptorem, & raptam; quamdiu hæc in potestate illius manserit, ita etiam sunt nulla sponsalia, quia etiam hæc requirunt libertatem a vi immunem, sicut matrimonium.

PUNCTUM XXI.

De potestate dispensandi in impedimentis dirimentibus.

289. Inq. 1. Quid sit dispensatio? R. Quod dispensatio in communi est *alicujus juris relaxatio ab habente legitimam potestatem*. Dispensatio vero prout ad præsens est *alicujus impedimenti matrimonii relaxatio ab habente legitimam potestatem*.

290. Inq. 2. Quis valeat dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonii? R. Jure ordinario solum summus Pontifex posse dispensare in impedimentis de jure ecclesiastico: nam solus ille, qui legem condit, eam potest abrogare, aut relaxare jure ordinario, licite cum causa, valide etiam sine illa. In impedimentis autem de jure naturali, & divino tantum potest dispensare, adhuc valide, ex speciali Dei commissione, ut in matrimonio rato. At in impedimentis ligaminis, matrimonii consummati, erroris personæ, impotentia perpetua, & consanguinitatis in primo gradu lineæ recte nequit dispensare, quia pro eis non constat de speciali Dei concessionem Pontifici facta.

291. Inq. 3. An Episcopus in casu necessitatis, & difficultatis aditus ad Pontificem possit in relatis impedimentis de jure ecclesiastico dispensare? R. affirm. Sive enim ante, sive post contractum matrimonium bona fide, saltem ex parte unius, censeretur Ecclesia tribuere hanc facultatem Episcopis pro casibus necessitatis ad vitanda scandala, dissidia, notam, aut infamiam. Item possunt Episcopi etiam extra casum necessitatis dispensare in impedimento superveniente ex affinitate, cognitione spirituali, & voto simplici castitatis, ut conjuges sibi invicem debitum petant, attenta consuetudine legitime introducta.

292. Commissarius generalis cruciatæ habet potestatem delegatam a Papa dispensandi in impedimento orto ex copula illicita cum his, qui juxta formam Tri-

Ss 2

den-

dentini bona fide ex parte unius contraxerunt, ut revalident matrimonium, monita parte inscia de nullitate. Eademque gaudet potestate ad legitimandam prolem, etiam ex parte utriusque mala fide susceptam. Pariter Nuntius Apostolicus in Provincia suae Legatus potest ex delegatione dispensare ante, & post contractum matrimonium in impedimento publicae honestatis, & legitimare filios modo dicto, ex tali matrimonio ante, aut post illud susceptos. In super valet dispensare in casibus necessitatis infamiae, aut scandali, ut dictum est de Episcopis: quia regula generalis est, id posse Nuntium Apostolicum in sua Provincia, quod Episcopus in sua Dioecesi.

293. Inq. 4. Quae sint causae sufficientes pro valida, & licita dispensatione? R. Hoc arbitrio prudentum esse metiendum, inspectis circumstantiis, hic, & nunc occurrentibus. Eo autem requiritur causa major, quo fortius fuerit impedimentum. Ideo requiritur causa gravissima ad dispensandum in matrimonio rato, aut in voto solemnium castitatis. Verum in impedimentis de jure tantum ecclesiastico potest Pontifex valide, esto illicite dispensare sine causa, ut diximus in tract. de legibus contra Coacinam, qui etiam in praesenti contendit, non posse Papam sine causa valide dispensare in impedimentis ab Ecclesia sanctis, in quo non parum derogat auctoritati, & potestati summi Pontificis. In impedimento affinitatis inter ascendentes, & descendentes in linea recta licet possit Papa dispensare; abstinet tamen a dispensatione. Bened. XIV. in Syn. lib. 9. cap. 13. num. 6.

294. Igitur loquendo de causis in particulari, septem communiter recensentur; prima est bonum pacis: hoc est ad sedandas magnas lites, aut inimicitias inter familias; secunda angustia loci, ut si in loco ubi vir degit, aut foemina, non inveniat sponsum, vel sponsam sibi parem, & competentem ad conjugium. In quo non est agendum nimis scrupulose ex eo, quod sint alii, vel aliae nobiles, quia si v. g. in oppido sint octo puellae, sed quatuor ex illis nolunt nubere oratori, nec iste aliis tribus, quia sibi multum repugnant, solum remanet alia sibi competens ad conjugium; nemo enim cogendus est nolenti nubere: maxime interveniente aliqua peculiari causa nolitionis. Tunc autem commu-

niter dicitur dari angustia loci, quando hic non excedit trecenta focolaria. Tertia est ob indotatam: intelligitur, quod nec habeat dotem, nec spem, nec actionem, unde dotari possit, quo in casu debet sponsus eam dotare ex integro juxta ejus qualitatem. Quarta aetas 24. annorum in foemina. Si excedit saltem per unum diem reputatur causa etiam pro tertio gradu duplicata. Pro viduis autem non deservit haec causa: quinta, nota, aut infamia puellae ex ingressu frequenti sponsi in ejus domum: vel copula inter eos habita. At si fuit habita animo facilius dispensationem obtinendi, non poterit superstes alteri nubere sine nova dispensatione, etiam mortuo conjugio. Sexta erogatio elemosynae ad pia opera, in qua jussu Pontificis designatur, & convertitur. Nec audiendus est quidam oblatrans contra stilum adeo pium, & congruentem Ecclesiae. Septima, quod a Regibus, vel magnis Principibus, aut peculiariter benemeritis de Ecclesia dispensatio postuletur: congruit enim Ecclesiae tales sibi acceptos habere, eisque se gratam reddere.

295. Post contractum matrimonium, causae dispensandi sunt bona fides, seu ignorantia impedimenti, saltem ex parte unius: dissidia, & scandala ex separatione: periculum incontinentiae, desertio prolis, & alia inconvenientia, quibus stantibus cum difficili aditu ad Pontificem, valent etiam Episcopi, ut diximus, dispensare. Potest etiam una causa esse ex se insufficientis, & compleri cum alia, etiam insufficienti: ad quod jubat quandoque elargitio majoris elemosynae.

296. Inq. 5. Quotuplex sit causa dispensandi? R. Est duplex. Alia motiva, seu finalis principalis: alia impulsiva, seu minus principalis. Motiva est intrinseca materiae rescripti, sine qua non concederetur, & tales sunt septem recensitae. Impulsiva, quae non concernit materiam rescripti; adjuvat tamen, ut facilius expediatur, ut quod postulans sit probus, sapiens, aut notus. Falsitas causae motivae annullat dispensationem, non vero falsitas causae impulsivae, ut patebit ex dicendis, & patet ex dictis in tract. de legib.

297. Inq. 6. An, si, expedita absolute dispensatione, cesset causa motiva, cesset etiam dispensatio? R. neg. Quia, data

ta dispensatione absoluta, tollitur lex, quae non reviviscit, nisi iterum imponatur. Unde licet cessaret causa motiva dispensationis, ea expedita per Episcopum, cui Pontifex illam remisit, dispensatio non cessaret, possetque tuta conscientia oratores illa gaudere, & contrahere matrimonium, ut si fuit absolute obtenta propter indotatam, & ex inopinato foemina dives fieret. Eodem modo, ac si lex abrogaretur absolute ex vera causa, etiam hac cessante, vere illa ablata esset. Haec sententiam judicat probabiliter in praesenti etiam Concina, esto inconsequenter; oppositam quippe tenet contra Salmanticenses in tract. de legibus. Non cessat facultas dispensandi morte concedentis, esto res sit integra, quia est gratia facta. Impetrata dispensatione impedimenti ab una parte, etiam alteri prodest, licet ignoret impedimentum, & dispensationem; unde, si postea illud agnoscat, non requiritur nova dispensatio.

PUNCTUM XXII.

De manifestatione requisita, ne dispensatio sit subreptitia.

298. Inq. 1. Quando dispensatio erit subreptitia, aut obreptitia? R. Tunc esse subreptitiam, quando reticetur aliquod impedimentum, vel circumstantia, quod ex jure, aut ex stylo Curiae debet exprimi. Tunc autem est obreptitia, quando in petitione causa motiva falsa, vel insufficientis exponitur. Unde idem est quoad praesens, quod sit subreptitia, aut obreptitia, quia aequae utraque annullat dispensationem: Idem est, si plures causae, aliae verae, aliae falsa constituant unam causam totalem. Si autem ex pluribus causis saltem una motiva sufficiens vera sit, valida est dispensatio. Falsitas causae impulsivae nunquam irritat dispensationem, quia absolute sine illa concederetur. At aequivocatio nominis, aut pronomini, illam annullat, quidquid alii dubitent, quia dispensatio re ipsa conceditur postulanti, seu oratori sub tali nomine, & pronomine, quae ex stylo Curiae sunt exprimenda, ad vitandas aequivocationes, & subreptiones, ut cap. 5. ait Pirr. Conrad. lib. 7. a. n. 2.

299. Inq. 2. Quid sit exprimendum in

petitione dispensationis? R. Hoc melius scire practicos Curiae, quam Theologos: ideo illi praestitis sunt consulendi. Ipsi enim penitus callent praxim tribunalis Datariae, & Penitentiariae, atque disponere formam petitionis: Igitur in literis supplicibus haec sunt potissimum exponenda in Dataria: nomina, & pronomina, ac Dioecesis oratorum, impedimentum, vel impedimenta, quibus afficiuntur; & causa motiva cum veritate, & claritate proposita. Si causa fuerit copula publica, exponenda est in Dataria; secus vero si fuerit occulta. Unde illa questio: an quando in literis dispensationis apponitur clausula: Nisi copula inter eos fuerit habita; vel si Episcopus interroget de ea contrahentes, teneantur isti eam patefacere, est de lana caprina; quia nec talis clausula apponitur in rescripto, nec Episcopus id interrogat, nec debet interrogare, quia copula occulta nec pertinet ad tribunal Datariae, nec ad tribunal forensis Episcopale, sed tantum ad tribunal secretum Penitentiariae, ubi suppresso nomine debet exponi, sicut caetera delicta occulta, quae inducunt aliquod, vel aliqua impedimenta. Semper inquam, debet exprimi copula; tamen dum occulta est, solum in tribunali Penitentiariae. De dispensationibus pro foro externo impetrandis a Dataria, Decretum prodit a Carolo III. Hispaniarum Rege die 11. Sep. 1778. quo decernitur, ut quilibet Ordinarius unum, vel duos Officiales versatos in stylo Curiae Romanae designet, quibus unice incumbat formare preces, easque eidem Ordinario presentare, ut statim ad Supremum Castellae Senatuum eas dirigat, viaque Regia dictae supplicationes Romanae transmittantur, ut litterae dispensatoriae secure, prompte & absque fraude, vel nullitate expediantur.

300. Inq. 3. Quae impedimenta sint exprimenda? R. Debere ex primi cum claritate, & distinctione impedimenta omnia, quae adsint; eorum species, & gradus. Unde si sint consanguinitatis, afinatis, cognationis legalis, aut spiritualis: in hac, an sit in prima, aut secunda specie: in illis, an sit in linea recta, aut collateralis, & in quo gradu. Ut si sit in primo cum secundo, in secundo cum tertio, vel in tertio cum quarto. Nam licet dispensatio impedimenti collateralis obtenta pro gradu remotiore cum

cum litteris declaratoris propinquioris, valida sit ex decreto Pii V. tamen juxta stylum Curiae uterque gradus proximior, & remotior debet exprimi. Si ex ignorantia exprimat secundus gradus pro tertio, dispensatio valida est, quia tertius continetur in secundo. Qui habet plura impedimenta ejusdem rationis, quia ex duplici capite est consanguineus, vel affinis, ut qui cum duabus sponsa sororibus rem habuit, vel compaternitas spiritualis duplex adsit, ut si Cajus fuit patruus filii Bertæ, & hec matrina filii Caji, debet exprimi omnia, quia sunt diversa impedimenta, ex quibus, uno ablato, remanet aliud.

301. An qui plures copulas habuit cum sorore sponsa debeat omnes exprimere? R. Quod si solum cum una sorore eas habuit, non est necesse, nec debet, nisi unam explicare; quia diversitas copulæ cum una non inducit diversam affinitatem, sicut illam inducit copula habita cum diversa sorore, in quo casu deberet exprimi utraque copula. Hæc enim, ut diximus, semper exprimenda est, vel in Dataria, si est publica, vel in Pœnitentiaria, si manet occulta. Exponi etiam debet, an scienter, vel ignoranter fuit commissæ; ac pariter, si fuit habita cum sponsa, animo facilius impetrandi dispensationem: in hoc enim casu in ipsa dispensatione cavetur, ne deinceps alteri cuicumque sine nova dispensatione nubere possit. Si copula cum sorore sponsæ v. g. iteretur, dispensatione executæ ab Ordinario, nova indiget dispensatione ob novum affinitatis impedimentum: non vero, si repetatur ante dictam executionem; vel iteretur cum ipsa sponsa.

302. Inq. 4. An, quando adsunt plura impedimenta, debeant simul omnia exprimi, vel sufficiat unum in una petitione, & alterum in alia exponere? R. Debere omnia simul exponi. Quia impedimentum cum altero conjunctum difficiliorem reddit dispensationem. Verum est, quod, si impedimenta sint inter se omnino diversa, & inconnexa, ut consanguinitas, & votum, licet divisim exponantur, non erit nulla dispensatio separatim obtenta: quia ex unius alteri conjunctione non resultat specialis dissonantia, nec augetur difficultas ea dispensandi. Ob eandem rationem, si quis antea obtinuerit dispensationem pro impedimento ejusdem, vel diversæ rationis, va-

let aliam poscere, quin prioris dispensationis mentionem faciat. Nec si prius sibi denegata fuerit dispensatio, requiritur mentio denegationis, quando iterum poscitur. At si impedimentum ortum fuerit ex crimine, debet fieri mentio prioris dispensationis, quia ex repetito crimine redditur difficilior dispensatio, & illud iterans, indignum se facit benignitate Ecclesiæ. Si mea sententia valeret, numquam esset dispensandum crimen homicidii, horret enim natura tale flagitium. Et si improbi machinatores carerent spe dispensationis, occluderetur via tanto crimini; sine dubio quippe abstinere a sua machinatione.

PUNCTUM XXIII.

De executore rescripti Pœnitentiariæ.

303. Inq. 1. Quis sit executor rescripti Pœnitentiariæ? R. Esse illum, cui committitur rescriptum. Solet autem committi Magistro, vel Doctore in theologia, vel in decretis ab Ordinario approbato, vel discreto Confessario ab oratore eligendo, ex approbatis ab Ordinario. Satis tamen, & consultius est, committi simplici Confessario ab Ordinario approbato. Tum, quia magister, aut doctor vix reperitur præsertim in oppidis parvis. Tum quia licet reperiat, non audent oratores illi confiteri, & executio rescripti Pœnitentiariæ solum intra confessionem debet fieri. Quare melius est, ut committatur Confessario, ex approbatis ab oratore, vel oratoribus eligendo. Si autem hic temere aperiat rescriptum magistro, aut doctore commissum, non obstat, ut postea dispensatio ab istis perficiatur. In casu vero, quo rescriptum committatur Doctore, vel Confessario, quilibet ex his valet eligi: at uno electo, & rescripto ei tradito, probabilius nequit alteri tradi, nisi prior imperitus, aut inhabilis comperiat. Nomine magistri, aut doctoris intelligitur, qui aliquem ex his gradibus in theologia, vel jure canonico in aliqua universitate obtinuerit, vel regularis ex illis, qui hoc privilegio gaudent.

304. Inq. 2. Quid agere debeat executor hujusmodi rescripti? R. Præ omnibus debere illud attente perlegere. Deinde examinare oratorem de veritate impedi-

menti, & causæ expositæ, & an interveniat aliud impedimentum. Si reperiat aliud impedimentum, aut subreptionem juxta superius dicta, ab executione abstinere: moneatur juxta facti circumstantias, ut melius expresso impedimento, veraque causa exposita, iterum pro valida dispensatione recurat. Si autem reperiat omnia rite fuisse exposita, nec aliquid obstare, audita sacramentali confessione, rescriptum exequatur, dispensando ab impedimento, imposita prudenti arbitrio salutari pœnitentia.

305. Verba, quibus dispensatio impertiri valet pro matrimonio contrahendo, data prius sacramentali absolutione, sunt sequentia, vel his similia: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenseo tecum super impedimento N. ut, eo non obstante, matrimonium cum dicta muliere, servata forma Concilii Tridentini, publice contrahere, consummare, ac in eo permanere licite valeas. In nomine Patris &c.* Quando autem agitur de matrimonio revalidando, præmissa sacramentali absolutione, addenda sunt hæc, aut similia verba: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenseo tecum super impedimento N. ut eo non obstante, matrimonium, jam initum in facie Ecclesiæ, revalidare, consummare, & in eo remanere licite valeas. In nomine Patris &c. Eademque auctoritate prolem, si quam suscepisti, vel susceperis, legitimam declaro. In nomine Patris &c.* Hæc ultima verba non sunt adeo necessaria; cum proles ex matrimonio valido in facie Ecclesiæ legitima ubique censeatur, & sit, quandiu de opposito non constat.

306. Inq. 3. Quæ differentia adsit inter executionem dispensationis obtenta a Dataria, & inter assecutam a Pœnitentiaria? R. Talem esse differentiam, quod prima est publica; secunda vero adeo secreta, ut sub sigillo Confessionis maneat: quæ differentia oritur ex alia, nempe, quia Dataria est tribunal publicum, in quo exprimi debent impedimenta publica, & ea, quæ probari valent cum nomine, & pro nomine, & Diocesi oratorum; at in Pœnitentiaria exponuntur impedimenta occulta, quæ ortum ducunt ab aliqua culpa, vel cum ea habent connexionem sub duplici N. N. sine nominis, nec Diocesis expres-

sione. Unde si quis cum sorore ejus, cui vul nubere, habuit copulam, ex qua timeatur nota, aut infamia, sic valet dispositio formula petitionis: *Em. & Reverend. Domine Salutem animæ suæ prospicere cupiens NN. reverenter exorat Em. V. pro absolutione & dissensione impedimenti affinitatis cum N. ortæ ex copula illicita, habita cum ejus sorore, ob periculum infamiae ex omissione matrimonii. Pariter supplicat humiliter, ut rescribere jubeat N. per civitatem N. ad locum N. & pro gratia S. Clausis subinde litteris exterior inscriptio sic ponatur: *Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. S. R. E. Pœnitentiario majori. Romæ.**

307. In hunc modum valet alia formulæ pro petenda dispensatione cujuscumque impedimenti efformari. Verum monitos omnes vellem, nequis mere Theologis in hac materia fidat, nam Theologia non docet stylum curiæ, quo ignorato, exponitur dispensatio noto periculo nullitatis. Notari etiam oportet, quod pro dispensatione saepe exigitur *fides paupertatis*, quæ consistit in eo, quod exprimat, quid siquid, deductis expensis, possident sponsi, & cum documento legali ab Ordinario approbato mittantur ad curiam. Hujus requisiti vix ullus Theologus meminit; & licet non sit necessarium ad valorem dispensationis; expedit tamen, ac ex stylo Curiae petitur ejus exhibitio pro dispensatione publica.

308. Dices: paupertas non est causa ad dispensandum: ergo superflua est fides paupertatis. R. Quod aliud est paupertas, aliud fides paupertatis; hæc enim exigitur, ut innotest quid, aut quantum possideant sponsi, ut juxta eorum facultates, & non amplius præscribatur elemosyna pro dispensatione eroganda. Unde licet nec paupertas contrahendum, nec suorum consanguineorum sit causa dispensandi, ut aliqui falso existimant; tamen ex stylo Curiae, & ob dictam rationem requiritur fides paupertatis supra explicata.

309. Inq. 4. An pro omni dispensatione sit exhibenda fides paupertatis? R. neg. Quia pro tertio, & quarto gradu dispensando cum causa minime requiritur. Sed quando petitur dispensatio absque causa, debet exhiberi pro omni gradu, qui dicitur de majori. Item pro compaternitate dispensanda.

sanda. Item pro primo cum secundo. Item pro secundo, vel etiam pro secundo cum tertio. Item quoties adsit copula publica, vel scandalum, aut infamia: in casu autem copulae publicae, scandali, vel infamiae imponitur etiam poenitentia publica: non in casu copulae occultae. Dixi supra, & iterum dico, nequis in hac materia fidat Theologis; addo autem, quod nec Juristis fideandum est, ne accidat, quod nuper contigit; quidam enim Advocatus ultramontanus a me petebat dispensationem sibi obtinere pro ducenda cognata, exponendo fusissime pro causa summam pauperiem, aetatemque satis provecam duarum sororum sponsae, quae 24. annos non attingebat. Non autem esse ad rem aetatem, & paupertatem sororum sponsae, pro quibus etiam textus civiles extra chorum allegabat, compertum est. Unde cum aliam causam non exhiberet, omisa fuit dispensationis sollicitudo.

310. Inq. 5. An, si matrimonio inito, vel renovato virtute facultatis sacrae Poenitentiarum, impedimentum prius occultum fiat publicum, possit Ordinarius conjuges separare, donec a Dataria dispensationem obtineant? R. sub distinctione: vel enim impedimentum proveniebat ex copula illicita, vel aliunde. Si primum, Confessario monente secreto Ordinarium,

se in illo facultate sacrae Poenitentiarum legitime dispensasse, nequit conjuges separare, sed acquiescere debet juxta Lambertinum *Inst. 87. n. 51.* Si secundum, potest eos separare; imo debet propter scandalum; quia dispensatio fuit solum pro foro interno. Si autem conjuges in hoc casu occulte, & sine scandalo sibi debitum reddant, non peccant, quia pro foro interno ablatum est legitimum impedimentum.

311. Nota, quod licet aetas sororum sponsae non sit ad rem pro obtinenda dispensatione; aetas vero ipsius sponsae, si vidua non sit, ex stilo curiae est aptior causa dispensandi, si 24. annos saltem per unum diem excedat. Nota etiam quod P. Cuniliati praescribens impedimenta, quae exponi debent, ne dispensatio nulla evadat, ait inter alia exprimenda: *Præterea, si plura adsint impedimenta ejusdem rationis, puta plures incestus cum eadem consanguinea, aut affine.* Sed ejus venia oppositum est verum, & rationi consentaneum; pluritas enim copulae cum eadem non multiplicat consanguinitatem, aut affinitatem, nec debet exprimi in petitione, nec unquam exprimitur; sufficit dicere, quod petitur dispensatio impedimenti v. g. affinitatis ex copula illicita cum sorore sponsae, prout diximus supra num. 301.

TRACTATUS TRIGESIMUS QUINTUS

DE PRECEPTIS ECCLESIAE.

CAPUT I.

De præcepto audiendi Missam.

PUNCTUM I.

De auditione sacri.

1. Inq. 1. Quod si primum præceptum Ecclesiae? R. Est audire Missam integram Dominicis, & cæteris diebus festivis. Constat ex cap. Omnes 62. ex cap. Missas 64. de consecrat. Dist. 1. Ubi licet tantum diei Dominicae, & de secularibus fiat mentio; praxis tamen Ecclesiae, & communis Doctorum intelligentia ad alia festa, & ad omnes fideles dictum præceptum extendit. Hoc præceptum obligat; sub gravi, quia lex

lex absolute lata de materia gravi graviter obligat; admittit tamen parvitatem materiae, ut a principio usque ad Epistolam exclusive, dummodo reliquum missae audiatur, vel a comunione peracta usque ad finem; omittens sine causa partem levem Missae peccat venialiter; omittens eam ex causa nullam culpam committit; debet tamen, si possit, eam supplere in alia Missa, quia obligatio est ad integram Missam.

2. Absens consecrationi, aut sumptioni probabilis deficit graviter, quia sunt partes principales sacrificii. Voluntarie se exponens periculo non audiendi Sacrum, licet postea illud audiat, peccat graviter, quia jam se exposuit periculo violandi præceptum; unde Confessarius diligenter examinaet poenitentes an se exposuerint periculo omittendi Sacrum, & an eod die, in quo omiserunt, re ipsa fecerint, quantum in ipsis fuit, ut audirent. Credens prudenter proprio vel alieno loco inveniendam Missam hora undecima, sive duodecima, si de facto non inventi, excusatur a transgressione, quia per ipsum non stetit; reprehendendi tamen sunt, qui ex negligentia, aut sine causa usque ad illas horas auditionem Missae protrahunt. Verum, illi, quibus incumbit talibus horis celebrare, eas accurate observare debent, ne rei fiant transgressionis aliorum.

3. Inq. 2. An audiens medietatem Missae ab uno sacerdote, & aliam dimidiam ab altero, adimpleat præceptum? R. Quod audiens simul duas medietates minime illud adimplet. Constat ex propos. 53 damnata ab Innocent. XI. *Satisfacis præcepto Ecclesiae de audiendo sacro, qui ejus duas partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Non damnatur in hac propositione sententia asserens satisfacere præcepto Ecclesiae audientem successive duas medietates. Verum minime est admitenda, quia debet integram Missam audire ab eodem sacerdote; si autem una medietas audiatur ab uno sacerdote, & alia ab altero ex justa causa, licitum est: Imo debitum si aliter nequeat integram sacrificium audiri: quia meliori modo, quo possit, debet integram audiri sacrificium, & qui integrum non potest, tenetur ad partem, ut perveniens ad canonem, aut etiam post consecrationem, tenetur ad

Tom. II.

reliquum audiendum. Ad satisfaciendum huic præcepto sufficit audire quamlibet Missam, sive cantatam, sive recitatam, sive propriam, sive votivam, vel de defunctis, aut de requiem, & in quocumque idiomate, vel ritu ab Ecclesia approbato, & a quocumque sacerdote catholico, qui non sit vitandus, aut notorius clericus percussor. Nam prius quis debet omittere sacrum, quam ab istis illud audire. A sacerdote autem excommunicato tolerato potest, & debet audiri, dum adsit rationabilis causa, vel in defectu alterius.

4. Inq. 3. An Missa sit audienda præcise in propria parochia? R. Quod, licet congruum sit, & monendum, tanquam conformius juri canonico, & aequitati, ut Fideles in propria parochia sacrificio Missae, & aliis officiis divinis assistant; nihilominus non teneri, quidquid dicat Gennettus, & amplius renuat Juvenin; sed satisfacere præcepto Missae illam audiendo in alia parochia, vel quacumque Ecclesia, aut cappella, seu Oratorio publico, aut regularium, vel etiam in oratorio privato deputato ab Episcopo juxta dicta de illius indulto, quia consuetudine commuai ita est introductum, abrogato decreto in contrarium juxta varias declarationes sacrae congregationis apud Ferraris *Verb. Missa, Videatur Benedict. XIV. in Syn. lib. 11. cap. 14. an. 7.*

5. Inq. 4. An audiens Missam, quae coram Pontifice celebratur ante mediam noctem Nativitatis Domini, satisfaciatur præcepto pro ipso die Nativitatis? R. affirm. Quia vel Pontifex anticipat initium diei Natalis, ut dicunt aliqui, vel si non anticipat, ut volunt alii, dispensat in hora audiendi Missam, sicut dispensat in hora illam celebrandi. Nullus tamen tenetur prædicto die tres Missas audire, quia ad hoc nullum datur præceptum, licet melius esset eas audire.

6. Inq. 5. An antiqui Anachoritarum Egypti; Thebaidae, & Syriae peccaverint sacrum non audiendo? R. neg. Quia dicti Eremitae igne divini spiritus succensi, auditionem sacri in longiorem Dei cultum, & graviorem obligationem, Prælati Ecclesiae annuentibus, commutabant, vacantes divinis laudibus, & die, & nocte in lege Domini meditantes; quare, ut mirabile exemplar virtutis, & sanctitatis ab Ecclesia pro-

Tt

po-